



**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi  
Et Benè Moriendi**

**Balde, Hendrik**

**Ipris, 1689**

3. Cap. Tempus breve est, & cuncta transeunt.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

gestati tua prestuis rem unicam, nimirum, vita mea ad duas tresue horas prorogationem: sed hoc illud erat, quod neque Cæsar illi dare, nec ille à Cæsare impetrare poterat.

*Transseunt dies salutis, ait S. Bernardus, & nemo recogitat, tu id in posterum frequenter animo versa, & magni æstima omnes vitæ tuæ dies, illosque benè & fructuosè impende, antequam te mors de improviso obruat, & ad tumultum pertrahat.*

## CAPVT. III.

*Tempus breve est, & cuncta transeunt.*

**Q**uidquid finem habet, breve esse convincitur Labor, afflictatio corporis, nec non alia incommoda, quæ hîc perpeffus fueris, licet centum annos diurnitate æquarent, tandem aliquandò habebunt finem.

Labor igitur, & corporis afflictatio ceteraque incommoda, quamvis centum annorum spatium adimplerent, brevia sunt, quin imò, si cum æternitate conferantur, momento temporis breviora. Ut quid igitur tam exiguo vitæ tuæ tempore, pro cælesti gloriâ, quæ finem nescit, pati & laborare detrectas?

De cunctis rebus temporalibus, ad quas conquirendas tantum laboris ac studij contulisti



contulisti, Verum aliquandò erit affirmative. *Transferunt.*

Potentia *Alexandri*, divitiæ *Cræsi*, *Sardapali* voluptates eloquentia *Demofthenis*, forma *Helena*, atque venustas corporis modò transferunt. Laudantur ubi non sunt, cruciantur ubi sunt, habitantes cum igne devorante, & cum ardoribus sempiternis. Tempus nunc illis effluxit, tibi non item.

Centum abhinc annis necdum eras natus, in tuo etiamnum eras nihilo, quin imò merum nihil. Post annos centum vivere desieris, atque aded prius verosimiliter, quam illud tempus præterierit, esca fueris vermibus, atque ante tremendum æquissimi iudicis steteris tribunal.

Quis igitur operæ pretium esse censeat, tanto cum studio in caducorum bonorum adeptionem hîc te incumbere, quibus vix comparatis propediem es privandus? quid enim est ipsum omninò diu, in quo est aliquod extremum? *Nihil est magnum re, quod parvum tempore*, ait *S. Eucherius* (a)

Ista cogitatio, quamdiù perdurabit hæc corona? quamdiù hanc aulam incolam? quamdiù hisce fruar delicijs? ista, inquam, cogitatio quam plurimis in divitiarum & voluptatum affluentia viventibus excussit

(a) *De vera Sapientia.*

lacrimas.



CHRISTIANA.

lacrimas, iisque incitamentum & calcar fuit, ut generoso animo omnem fastum, & quidquid caducum est, tanquam fumum atque umbram aspernarentur. *Subit, cum maxime exultant, cogitatio, hac quamdiu?* inquit Seneca. (a)

Ingentium dolorum origo sapissime sunt terrenæ voluptates, & nos cum minime arbitramur, derepentè deserunt.

Satius itaque est, modò cuncta deserere, quam postmodum à Deo deseri.

Neque profectò sapientis neque prudentis est, agere velle exiguo tempore. vitam commodis & delicijs abundantem non sine manifesto periculo in miseras incidendi sine fine duraturas. *Angustus est animus, quem terrena delectant,* ait Seneca.

*Qua speras, peritura sunt omnia, & res quid post hac? Aliquid ama & spera, quod non transeat,* inquit magnus Guigo Cartusianorum Generalis (b) hæc attentè cum animo tuo cogita & sæpe revolve.

Frequenter, dies hilariter & perperam transactus adigit non paucos in angustias & sollicitudines maximas, cogitque eos integras noctes insomnes ducere.

A 5

CAPVT.

(a) De Brevit vita.

(b) De tranquil. c. 3.